A 164
50188
I. III. Mes

# Die
# Chirurgie des Johannes Mesuë junior.

**Schluss des vierten Buches.**

Zum ersten Male veröffentlicht.

---

INAUGURAL-DISSERTATION

WELCHE

ZUR ERLANGUNG DER DOCTORWÜRDE

IN DER

MEDICIN UND CHIRURGIE

MIT ZUSTIMMUNG

DER MEDICINISCHEN FACULTÄT

DER

FRIEDRICH-WILHELMS-UNIVERSITÄT ZU BERLIN

am 1. Februar 1895

NEBST DEN ANGEFÜGTEN THESEN

ÖFFENTLICH VERTHEIDIGEN WIRD

DER VERFASSER

**Walther Schnelle**

aus Rostock.

---

**OPPONENTEN:**

Hr. Dr. med. Westenhöfer.
- Dd. med. Brockelmann.
- Dd. med. Bossler.

---

BERLIN.

Buchdruckerei von Gustav Schade (Otto Francke).

Linienstrasse 158.

1,50

50183

Seinem Grossvater,

dem

**Advokaten Behm zu Neubrandenburg**

in Dankbarkeit und Verehrung

gewidmet

vom

Verfasser.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b3059036x

Johannes Mesuë junior figuriert in der Litteratur unter verschiedenen Namen. Bald heisst er schlechtweg Joannes Mesuë Damascenus oder bloss Joannes Mesuë, auch mit dem Zusatz junior zum Unterschied von einem fast 200 Jahr älteren Autor, dem bekannten Mesuë senior (Abu Zakhariah Jahiah Ben Maswijah al Dschondisaburi † 857 zu Samarra), bald erscheint er mit dem Namen Maswijah al Mardini oder lateinisch: Joannes filius Mesuae filii Hamec filii Hely filii Abdela regis Damasci.

Es haben sich in der medizinischen Litteratur unter seinem Namen mehrere Werke erhalten; eine Abhandlung über die Abführmittel, ein Lehrbuch über die Apothekerkunst, auch Grabbadin genannt, ferner ein Werk über einige Teile der speziellen Pathologie und Therapie. Leider sind alle diese Schriften nicht mehr im arabischen Urtext vorhanden, sondern nur in lateinischen Ausgaben, und da die arabischen Texte bisher nirgends aufzufinden waren, auch ihr angeblicher Verfasser nirgends von den arabischen Litteratoren der Medizin erwähnt wird, sondern nur von dem wenig zuverlässigen Historiker Leo Africanus, so hat man mit Recht daran zweifeln dürfen, ob überhaupt jemals ein arabischer Schriftsteller der Medizin unter diesem Namen existiert hat. Der Verdacht ist also nicht unbegründet und bis heute auch nicht widerlegt, dass der Autor der oben genannten Werke nicht Mesuë selbst, sondern ein christlicher Pseudonymus des Mittelalters ist, der seine Kompilationen unter dem Namen des Mesuë publizierte, um ihnen einen mehr autorativen Charakter beizulegen.

Trotz aller jener zum Teil pomphaft klingenden Namen ist die Person selbst, der Träger dieser Namen, — er ist nach Choulants Handbuch der Bücherkunde für die ältere Medizin zu Maridin am Euphrat geboren,

hat in Bagdad Philosophie und Medizin studiert, dann am Hofe des Khalifen Alhakem zu Kahira als Arzt gelebt und ist dort um 1015 p. Chr. gestorben — hinsichtlich der litterarischen Leistungen, soweit sie auf uns gelangt sind, noch recht rätselhaft. Ausser den genannten Schriften, die zum Teil bereits mehrfach gedruckt sind, existiert noch als lateinisches Manuskript aus dem vierzehnten Jahrhundert in der Nationalbibliothek zu Paris eine gleichfalls angeblich von Mesuë herrührende Arbeit, deren vollständige Überschrift lautet: — Cyrurgia Joannis Mesuë quam magister Ferrarius Judeus cyrurgicus transtulit in Neapoli de Arabico in Latinum. — Eine Reihe von Autoren (Albrecht von Haller in seiner bekannten Bibliotheca chirurgica, Wüstenfeld, L. Leclerc und M. Steinschneider) erwähnen diese Handschrift, und besonders letzterer sprach die Hoffnung aus, dass möglicherweise die Kollationierung dieses Kodex einiges Licht über die rätselhafte Person dieses Pseudo-Mesuë bringen dürfte.

Nachdem Pagel durch Zufall zur Kenntnisnahme des genannten Manuskripts bei seinen Originalstudien über Mondeville gelangt war, verschaffte er sich von demselben eine genaue Kopie und veröffentlichte dann vor etwa 2 Jahren einen Teil der genannten Chirurgie. Zugleich lieferte er den Nachweis, dass ihr Inhalt keinen einheitlichen Charakter trägt, sondern eine Kompilation aus verschiedenen, teils chirurgischen, teils medizinischen Werken ist. Damit ist die Frage allerdings nicht von der Stelle gerückt, immerhin doch eher ein Beweis für als gegen die alte Ansicht geliefert, dass es sich in der That bei Johannes Mesuë um keinen Araber, sondern um einen lateinisch schreibenden christlichen Mediziner des Mittelalters handelt.

Von dem Dokument selbst konnte Pagel aus äusseren Gründen damals nur die drei ersten Bücher veröffentlichen; einen Teil des vierten Buches überliess er F. A Sternberg zu seiner Inaugural-Dissertation (Berlin 15. 8. 1893), den Rest desselben veröffentliche ich in folgendem. Er zerfällt in zwei Hauptabschnitte. Der erste Abschnitt, der Sermo de algebra, handelt von den Frakturen und Luxationen. Wie bei allen Autoren jener Zeit wird das Hauptgewicht auf die Therapie ge-

legt. Die einzelnen Knochenbrüche werden der Reihe nach durchgenommen, zum Schluss werden die komplizierten Frakturen behandelt (sermo de fractura ossis cum vulnere carnis). In dem zweiten Teil wird noch eine höchst interessante Darstellung hygienisch diätetischen Inhalts gegeben; zum Schluss handelt das vierte Buch von Aderlassen, Applikation von Schröpfköpfen und Blutegeln.

Von einer genaueren Analyse im einzelnen glaube ich in Rücksicht auf den Umfang um so eher absehen zu dürfen, als die klare Schreibweise und das leichte mittelalterliche Latein das Verständnis bei der Lektüre ohne Schwierigkeiten ermöglichen.

### Sermo de algebra. Cap. 1. De restauratione nasi quando frangitur.

Ex naso autem non frangitur nisi duo ossa posita in superiori parte ejus aut unum tantum; quoniam inferius ejus est cartillaginosum, non frangitur et non accidit ei nisi tortuositas, attritio et lividitas. Si vero frangitur una duarum partium ejus, tunc oportet ut intromittas digitum tuum parvum in foramen nasi et aeques illam fracturam de intus cum digito tuo indice et pollice de foris, donec redeat nasus super figuram suam naturalem et fiat illud omne (?) cum facilitate et cave ne accidat per operationem tuam super infirmum dolor. Quodsi fractura est in superiori parte nasi et non pervenit ad illam digitus, tunc oportet ut aequetur cum extremitate radii, in quo sit grossitudo parva. Si vero fractura est in duabus partibus tunc fac simile illius et propera cum restauratione ejus in die primo fracturae, si est possibile, et si non, tunc post diem quintum aut decimum apud quietem apostematis calidi, deinde intromitte in extremitate nasi lichinium ex panno lini si fractura est in parte una, aut duo, si est in utraque parte fractura et sit lichinium tantae quantitatis quod impleat foramen nasi et involvatur in albumine ovi pulveris molendini, thuris et sarcocollae $\overline{aa}$ et quandoque intromittitur loco licinii penna anseris aut cannellus de argento aut tale postquam involvitur super ipsum pannus lenis cum medicina supradicta et fit, quoniam regit fracturam nasi vehementius et ut non prohibeatur infirmus ab inspiratione, sed non est res necessaria, quoniam bene potest vivere alias sine et expiratione per nares. Apostema autem interim si accidat calidum, emplastra nasum cum ceroto infuso in unguento facto de ol. ros., alb. ovi et vino simul conquassatis. Si autem non accidit apostema, sit cerotum ex farina sisami et pulvere thuris et sarcocolla confectis cum albumine ovi et non liges nasum cum aliquo omnino. Si vero franguntur ossa nasi aut comminuuntur, tunc oportet ut scindas super ea et extrahe ipsa cum instrumentis, deinde sue scissuram si convenit et cura cum eis quae incarnant et consolidant ex em-

plastris convenientibus. Et si accidat intra nasum vulnus, tunc oportet ut cures ipsum cum lichiniis et administres cannulas supradictas donec sanetur.

## De restauratione mandibulae quando disrumpitur.

Mandibula inferior quando disrumpitur et fractura ejus non est cum vulnere, aspice tunc, si est fractura ejus de foris tantum et non frangitur in duo et curvatur ad interiora, tunc cognitio ejus est facilis. Oportet ergo ut intromittas digitum indicem in os infirmi, si est in dextra, sinistrum, et si in sinistra dextrum et impelle cum eo gilbositatem fracturae de intus cum facilitate ad exteriora et cum altera manu ab interiori parte ossis aequa ipsam. Quodsi fractura mandibulae jam separata est in duo, tunc oportet ut administres extensionem a duabus partibus secundum rectitudinem, donec possibilis sit aequatio ejus. Si autem jam accidit in dentibus commotio tunc stringe illos, de quibus speras quod remanere possint cum filo argenti aut seta, deinde pone super mandibulam fractam cerotum constrictivum et super ipsum pannum duplicatum et super pannum astellam magnam decenter factam aut soleam et aequam longitudine mandibulae, deinde liga secundum quod convenit et praecipe infirmo uti tranquillitate et quiete et pone cibum ejus sorbitiones lenes. Si autem accidit apostema calidum, tunc solve et administra, quod alias diximus. Et si fractura est cum vulnere, considera si est separatum ex osse satagie, tunc subtiliare in hoc, ut auferas satagie cum eo quod convenit tibi, deinde cura vulnus cum ceroto consolidativo et cum aliis convenientibus, donec sanetur. Scias quod operatio medici in fractura et dislocatione dependet a visu et tactu et cognitione naturae; itaque sine tactu usuali et visu de levi apprehendi non potest ex parte aequationis et restaurationis et ligationis. Si ex parte medicinarum et dietae et flebotomiae et clysteris et similium, pendet a bona imaginatione et naturali ingenio et arte acquisita per sua principia. Debes autem hanc dietam universalizare in omni laesione ossium post securitatem apostematis et principium carnis reparationis ministrare infirmo extrema porcorum et aliorum animalium ventres, granum risum et granum coctum cum lacte amygdalarum et zuccara, capita castrati edi et aliorum et omnes cibos viscosos ut pisces, ut coadjuvantia sint ad generationem porri sarcoidis et ejus incarnationem duram.

## De restauratione humeri.

Hoc autem os quando frangitur ut plurimum ab interiori parte ex parte humeri frangitur, cujus fractura aut frangitur et separatur in duo praeter quod accidant in eo satagiae et est facilioris restaurationis aut cum satagie et est difficilioris curationis aut est fractura cum vulnere. Si autem fuerit fractura sine vulnere, est: ut facias esse praesentes duos ministros ut teneat unus eorum adjutorium quod sequitur furculam fractam et alter extendat collum versus partem et tu ponas sub titillico infirmo sphaeram ex panno et sit magnitudo ejus secundum quantitatem necessitatis tuae et coarta speram manu tua donec

aeques extendendo furculam secundum quod oportet et aequa eam digitis tuis. Si autem sentis satagiatum ex furcula et movetur tunc oportet, ut findas super eam et extrahas satagiatum cum facilitate, deinde cura vulnus ut diximus. Si vero fuerit absque vulnere et absque sectione, tunc est: ut, furcula aequata, ponas super os emplastrum factum ex farina molendini, albumine ovi et aliis convenientibus cum plumaceolo de stupa, deinde super illos pulvillos duplicatos, deinde st(u)ellam subtilem et ipsam involve in panno lini et pone super fracturam et liga cum sphaera sub titillico et super fracturam sicut revolvitur et super collum ejus et sub titillico ejus sano et sub titillico infirmo et reducas fasciam super omnem partem, quando vides quod strictura teneat fracturam strictura decenti, et oportet, ut aspicias infirmum omni die. Si mollificatur ligamentum et stella moveatur, tunc rectifica et stringe ligaturam, et si non accidat ibi accidens, non removeatur a stella vel ligatura usque ad duodecim dies; tunc removetur emplastrum et adde in strictura et portet sub titillico pulvinar parvum. Dieta ejus sit a principio subtilis, deinde grossa et viscosa. Si autem fuerit cum vulnere et fuerint satagiae aut si non, primae removeantur satagiae restricto sanguine, deinde aequa, sicut diximus et cum ligaturis et medicinis supradictis curetur salvo jure vulneris, ut aliter ligetur, quod bis in die curetur.

### De restauratione fracturae spatulae.

Spatula autem raro frangitur in loco ejus lato sed franguntur in ea margines ejus; cujus fractura cognoscitur per tactum; tunc secundum quod est figura fracturae, conare primo parationem ejus et reducas eam super figuram naturalem omni modo ingenii quod est tibi possibile, deinde pone super locum emplastrum constrictivum et alia per ordinem, ut superius dictum est, prosequaris.

### De restauratione fracturae pectoris.

Frangitur quandoque pectus in medio sui, sed raro accidit illud, sed extremitates verae ejus plurimum quidem franguntur. Si vero frangatur ejus medium, declinat ad inferiora et accidit ei dolor vehemens, difficultas in anelitu et non occultatur sensui. Cujus restauratio est, ut resupinetur infirmus super dorsum suum et pone inter spatulas ejus[1]) ..... rotundum, deinde preme humeros ejus et aggrega costas cum manibus a duobus lateribus et subtiliare secundum omnem modum, quo est possibile et convenit donec redeat, deinde pone emplastrum constrictivum et alia quae diximus ordinate et liga sicut expedit. Extremitates vero quando franguntur, manibus adaequentur et in eis cura adhibeatur cum emplastro scilicet et ligatura et alius huic convenientibus, ut oportet.

### De restauratione costarum.

Costarum quidem fractura non cadit nisi in locis grossis quae sequuntur dorsum et extremitatibus earum ab anteriori parte et

---

[1]) Lücke, vielleicht durch pulvinar zu ergänzen?

non accidit eis attritio nisi propterea, quia sunt cartillaginosae, et cognitio illius non occultatur sensui apud inquisitionem cum digitis, et si fractura costarum est declivis ad interiora, tunc accidit infirmo dolor vehemens et punctura velut laboraret[1]) ..... quoniam os pungit velamen, et difficultas hanelitus, tussis et sputum sanguinis, et haec est difficilis curationis, quoniam difficulter reducitur costa ad formam naturalem. Si autem habeat costam nec sentiat infirmus dolorem pungitivum, de melioribus rebus est, ut flebotometur de vena communi et super locum ponatur emplastrum cujus haec est receptio: Rp. pulveris molendini unc 2, masticis, boli armenici, drageae. gi. arab. $\overline{aa}$ unc $^1/_2$, sang. drac., mummiae $\overline{aa}$ dr. 3, pulverizentur et cum albumine ovi conficiantur et cum petia primo in hoc involuta, deinde cum plumaceolis hoc etiam involutis diligenter ligetur, bis autem in hebdomade clysterizetur aut bibat decoctionem violae, prunorum cum pulpa cassiae fistulae. Quodsi coartat infirmum res vehemens quam non tolerat et os pungit velamen punctura laedente et timetur super infirmum, tunc oportet ut findas super locum et detegamus a costa fracta, deinde ponamus super ea instrumentum obtusae aciei, quod conservat syphac, cujus haec est forma[2]), et trahas cum facilitate donec aequetur. Si autem fuerint ibi satagiae, ipsa incide cum instrumento ferreo, primo tamen posita sub costa ferri lamina, ut syphac custodiat et secundum possibilitatem tuam extrahe satagie, deinde cura vulnus ut superius continetur. Est autem notandum, quod omnis qui restaurationem laborat, tria habet tempora, quorum primum est: in ipso principio dare frigida et parum nutrientia ut est succus farri et similia. Secundum est: quando fueris securus ab apostemate, dare carnes pullinas edinas et ova sorbilia et similia. Tertium vero est: quando caro incipit reparari et porus sarcoydes generari, dare grossa et viscosa, ut pedes animalium, vinum stypticum et alia huic convenientia.

### De restauratione fracturae dorsi et colli.

Ossibus quidem colli advenit quandoque fractura et raro eis accidit attritio simili modo et spondilibus dorsi. Cum ergo accidit illud alicui et vis scire an sanetur, tunc considera: nam si vides manus ejus jam mollificatas stupefactas et mortuas nec potest eas extendere sive movere vet constringere et etiam si pungis ipsas cum acu et non sentit dolorem in eis, tunc scias, quod non sanatur et in pluribus dispositionibus est mortale, quoniam illud est signum, quod nucha est laesa; et si movet eas et sentit, tunc scias quod nucha ossis salva est et quod infirmus potest sanari cum bona curatione. Si autem eveniat spondilibus dorsi fractura et vis scire sive prognosticare de morte ejus vel salute, tunc considera quae dicta sunt, in pedibus ejus, et si ita se habeat ut in manibus diximus, ita judicare potes, et si egestio absque

---

[1]) Lücke, vielleicht durch pleuresia oder peripleumonia zu ergänzen?

[2]) Die hier erwähnte Figur ist bereits von Pagel, l. c., p. 133, veröffentlicht.

voluntate egrediatur, tunc ut plurimum est mortale: non ergo labores in curatione ejus. Si vero ista non accidant, tunc curatio ejus est possibilis et est, ut primo flebotometur, ne accidat ibi apostema calidum et pone super locum emplastrum constrictivum et infirmus utatur quiete et tranquillitate et ne dormiat super partem dolorosam donec sanetur. Si autem accidit fractura cum attritione et ibi satagie, tunc oportet ut seces super cutem et auferas os laesum. Deinde cura vulnus cum incarnativo et aliis donec sanetur.

## De restauratione anchae.

Ossa ancharum raro franguntur. Quodsi frangantur tunc non est nisi comminutio in extremitatibus ipsorum, sed scinduntur quandoque in longitudine et declinant ad interiora et accidit infirmo dolor in loco et punctura et stupescit crus quod frangitur. Si autem fracturam in extremitatibus curare volueris, tunc fac jacere infirmum super ventrem suum et aequa aequatione naturali et pone emplastrum constrictivum. Similiter et si fractura tendat in longitudine aequa diligenter et pone emplastrum et liga strictura media. Si autem accidat ei apostema calidum, tunc cessa ab extensione ejus et ejus restauratione et ligatura donec sedetur apostema et pone super ipsum quod sedet ipsum. Deinde redi ad restaurationem ejus et stringe ut oportet.

## De restauratione fracturae adjutorii.

Dicitur autem adjutorium illud quod est inter cubitum usque ad spatulae caput, cujus restauratio est, si frangitur, secundum unum duorum modorum, quorum unus est ut accipias lignum planum et mediae grossitudinis et ligetur in duabus extremitatibus duobus ligamentis, deinde suspendatur ex loco elevato et sedeat infirmus super sedem, deinde projiciat brachium suum fractum super lignum, donec perveniat ad titillicum ejus in cujus medio sit annexa curvitas ligni. Deinde suspende super ipsum aliquid grave aut extendat ipsum minister ad inferiora, deinde aequet medicus fracturam manibus suis simul, donec redeat fractura secundum quod oportet. Et alter modus est, ut resupinetur infirmus super cervicem suam aut sedere ipsum in terra facias. Deinde praecipe duobus ministris, ut teneat unus illorum id quod est super fracturam cum manibus suis et ut alter teneat inferius ejus et extendat unusquisque eorum ad partem suam, et tu aequa manibus tuis fracturam cum facilitate absque labore secundum quod oportet, primo vero emplastro parato et astellis pone emplastrum et ligamentum, cujus talis est modus, ubi cadit hoc emplastrum et astella: primo conficiatur hoc emplastrum ex pulveribus subtilibus cum albumine ovi et plumaceolos stupeos in vino styptico calido madefacias et exprime inde vinum et super tabulam aequa aequatione plana plumaceolum et superpone emplastrum et manu tua per totum explanabis et pone primo involutiones, unam ex panno subtili de lino infuso in emplastro dicto super adjutorium, deinde plumaceolum dictum paratum secundum unam completam revolutionem. Deinde liga diligenter strictura media cum vicca secundum quattuor revolutiones, deinde pulvillos

duplicatos et desuper astellas et liga cum bindellis tribus ligaturis. Ponere vero debes astellam, quae sit latior et fortior reliquis astellis super fracturam et ponas inter omnem astellam spatium digiti et sit longitudo astellarum secundum fracturam cum additione trium digitorum ab omni parte; deinde stringe super astellas cum vicca strictura condecente et est ut incipias stricturam super locum fracturae et sit strictior, et quanto plus elongatur a loco fracturae, strictura sit debilior deinde considera ligamentum in omnibus tribus diebus ut non accidat in loco pruritus aut inflatio aut prohibeatur nutrimentum pervenire ad membrum propter dispositionem stricturae superfluitatis; rectifica ergo illud totum, sicut alias diximus. Si vero tu es super fiduciam, ut non accidat aliquid ex illo, tunc non solvas ligamentum nisi post 3 dies aut plus et ponas sub titillico pulvinar parvum aut sphaeram ex panno et locetur manus infirmo super stomachum cum binda lata ad collum. Si autem accidat ibi apostema calidum, curetur ut diximus, et cessare oportet ab astellis et strictura per aliquos dies, donec sedetur, deinde ligetur ut diximus, et est regula, ut non dimittantur astellae et ligatura in brachiis et cruribus usque ad XII dies. Dieta ordinetur ut diximus.

## De restauratione brachii.

Brachium ex duobus compositum est ossibus, quae nominantur duo focilia, quorum unum est parvum et est illud quod sequitur pollicem, et alterum est magnum et est illud, quod est positum sub parvo ab inferiori parte. Fortasse enim frangitur solum focile majus aut parvum et aliquando franguntur simul. Quando vero frangitur parvum, tunc ejus restauratio est facilis et sanatio ejus est facilior et quando frangitur magnum inferius, ejus fractura est mala et sanatio difficilis et deterior ea est, quando franguntur duo ossa simul. Si ergo quod frangitur est focile parvum, tunc convenit medico apud restaurationem ipsius, ut ponat extensionem parvam cum facilitate donec aequet ipsum. Si vero focile magnum, tunc oportet ut ponat extensionem fortiorem valde et iste est modus restaurationis: locetur autem infirmus sedens quadrate super se ipsum et locetur pulvinar coram eo in directo ejus in altitudine et non incurrat infirmus laborem et superextendat medicus brachium infirmum apud restaurationem et sit pollex manus ad superiora altior omnibus digitis et sit auricularis inferior; deinde locetur inferior pars brachii in manibus ministri et pars superior in manibus alterius ministri, et quilibet ministrorum extendat brachium ad suam partem, medicus vero tunc manibus sius aequet ossa fracturae, donec reducat ipsum os secundum meliorem figuram quam oportet. Quodsi in fractura ossis sunt satagiae, tunc conare reducere cum digitis tuis omne frustrum in loco suo virtute tua. Si vero apparet in ea satagiatum separatum et pungit cutem et non est tibi spes in restauratione ejus, tunc finde super ipsum et auferas ipsum secundum modum quem diximus in eis quae praemissa sunt. Si autem fractura est cum vulnere, ego jam feci de vulneribus capitulum singulare: accipe ergo curationem illius inde. Quodsi accidat in principio tuae restaurationis apostema calidum, tunc fac ex cera

alba et ol. ros. et panno lini et superpone et sit medium inter liquidum et spissum aut removeatur cum decoctione mali granati dulcis in vino et cum sedatum fuerit parabis omnia tibi necessaria ad restaurationem et ligaturam. Modus autem ligaturae non fit nisi per aliquem duorum modorum, nam fractura ossis aut est cum vulnere aut facto vel a medico aut est sine carnis laesione. Si autem sine solutione continuitatis in carne fuerit, tunc ejus ligatura sit continua a junctura manus usque ad juncturam cubiti per ordinem prosequendo, ut dictum est in superiori capitulo et est parare tibi emplastrum, cujus haec est assignatio: Rp. olibani dr. 5, sanguinis drac. dr. 3, masticis unc. $^1/_2$, dragag. dr. 4, gi. arab. dr. $2^1/_2$, mummiae dr. 2, boli armen. dr. 6, pulveris molendini unc. 1, pulverizatis et cribellatis conficiantur cum albumine ovi, deinde parabis plumaceolos stupeos aut unum magnum, qui per unam cooperiat revolutionem totum brachium et super ipsum infunde emplastrum et primo super brachium pone pannum subtilem de lino in emplastro involuto per unam revolutionem et super hoc plumaceolum unum stupeum, deinde bindam per duas vel tres revolutiones, deinde pulvillos et desuper stellas, quarum numerus est sex in pluribus dispositionibus et pone fortiorem et latiorem super fracturam, deinde liga cum filo de lino duplicato stellam in extremis et in medio, deinde incipias ligare cum vicca stricturam super locum fracturae fortiorem et quanto plus cum strictura a fractura elongantur, pone stricturam meliorem et sint panni subtiles et tolerabiles et considera membrum et ligamentum post dies; quodsi accidit aliquid, cui rectificatio sit necessaria, sicut pruritus qui accidit membro, tunc oportet ut embroces membrum cum aqua decoctionis camomillae, lauri, salviae, si non est ibi vulnus et si fuerit ibi solutio continui, tunc fiat decoctio cum vino et praedictorum. Si autem post primam ligaturam accidat apostema, tunc solvatur et apostema sedetur cum decoctione mali granati dulcis in vino pontico et intingatur plumaceolus stupeus et superponatur aestate frigidum, hieme vero calidum sive tepidum et saepe in die mutetur donec sedetur, deinde ad ligaturam et stricturam cum tabellis redire oportet. Si autem non accidat ex his aliquid, tunc non oportet ut solvatur nisi post viginti dies aut circiter illud. Consuevere autem quidam post primam ligaturam facere flebotomiam parte diametraliter opposita et ventrem largum tenere, ut prohibeatur derivatio humorum ad locum dolentem. Dieta quoque ordinetur secundum tria tempora restaurationis; binda, cum qua brachium suspenditur ad collum sit ampla a cubito usque ad manum.

## De restauratione fracturae digitorum.

Digitis autem fractura raro accidit, sed multotiens accidit eis attritio. Quodsi accidat fractura alicui nodorum digitorum, tunc, si est pollex, aequetur secundum quod oportet, deinde stringatur cum planta (= palma) et si amas, pone ei astellam parvam rectam, ut non moveatur fractura. Si autem fractura fuerit in aliquo ex aliis ut in medio, indice, auriculari aut annulari, tunc aequetur et ligetur cum emplastro cum digito sano, qui sequitur eum aut ligentur omnes secundum continuationem et est melius, aut po-

nimus super ipsum astellam parvam ut diximus in pollice et considera in restauratione tua, si accidat apostema vel aliquod aliud subvenire cum eo quod oportet secundum quod praecessit ejus narratio.

### De restauratione fracturae ossis coxae.

Os coxae multotiens frangitur et declaratur sensui, quando convertitur ad anteriorem et posteriorem partem, in cujus restauratione multum considerandum est tum propter magnitudinem ejus cum propter musculum ibi locatum, qui radix est cordarum moventium membra inferiora et cum, ut non accidat infirmo post restaurationem claudicatio. Et restauratio ejus fit, ut infirmus prostratus sit super faciem suam; deinde unus minister extendat partem superiorem et alius inferiorem et quilibet ad partem suam vel manibus suis vel cum ligamentis ex utraque parte fracturae factis; deinde aequet medicus os manibus suis donec reducat ipsum secundum similitudinem figurae naturalis et conjungatur os conjunctione bona, deinde apponas emplastrum cum panno lini primo et plumaceolo stupeo et ligaturam cum binda super fracturam strictam, deinde pulvillos et astellas bene ligatas et ligaturam fortem super locum fracturae et quantum elongatur remolliatur et prosequantur omnia per ordinem huic necessaria, scilicet ratione flebotomiae, largitatis ventris, ligaturae, apostematis supervenientis, pruritus et incisionis si fiant ibi satagiae quae removeri debeant, dietae, quietis et tranquillitatis. Ponunt autem quidam alium modum ligationis et est posito emplastro cum panno lini et plumaceolo stupeo praecipiunt locum fracturae cum binda ligare et stringere tribus revolutionibus, deinde super faciem suam infirmum prostrare et accipere crus suum et volvere ipsum ad partem superiorem, donec perveniat calcaneus apud radices natis, deinde ponere astellam super locum fracturae latiorem et grossiorem et aliam super os cruris et implere vacuitatem inter crus et coxam cum pannis levibus, ut aequetur fractura, deinde incipere cum strictura forti a medio et ligare totum crus cum coxa et proceditur in aliis ut dictum est. Hanc autem ligaturam ponentes dicunt infirmo non accidere post restaurationem claudicatio.

### De restauratione fracturae cruris.

Crus ex duobus componitur ossibus, quorum unum est grossum et alterum subtile et dicuntur duo focilia et accidit utrisque ex speciebus fracturae quod accidit duobus ossibus brachii et propter illud fit restauratio ejus aequaliter brachii et operatio est una, et est: quod aliquando frangitur focile minus, aliquando majus et aliquando ambo. Attende igitur omnia per ordinem, quae capitulo de restauratione brachii diximus. Sed in crure quidem est quidam super brachium et est, ut post ligaturam completam administretur cunabulum ex tabulis decenter ligatis secundum longitudinem cruris et ponatur in eo crus et in circumferenciis aliquid ex pannis lineis ut conservet ipsum a motu, deinde visa et considera omni dei crus, ne accidat ei ex eis, quae diximus. Cum ergo accidit aliquid ex illis, tunc appone ei ea, quae oportet usque quo sanetur.

De restauratione digitorum pedis aut rascetae.

Fractura raro digitis pedis accidit, nisi attritio in pluribus dispositionibus. Si autem franguntur aliqui digiti, tunc restaura eos et aequa secumdum quod narravi tibi in restauratione manus, deinde pone digito fracto astellam secundum longitudinem digiti et sit latior eo parumper, deinde pone sub pede soleam lineam planam et stringe eam strictura decenti et convenit tibi ut non obliviscaris quin consideres omnia quae dixi tibi in reliquis fracturis ex accidentibus quae diximus et oppone omni accidenti cum eo quod oportet.

Sermo de fractura ossis cum vulnere carnis.

Cui accidit fractura cum vulnere convenit ei ut properes et flebotomes ipsum statim si attestantur conditiones flebotomiae, sicut praevidimus, praecipue si est os fractum ex ossibus magnis, ut os adjutorii, brachii, coxae, cruris et his simile. Deinde sanguinem constringe cum supradicto medicamine. Secunda visitatione incipe restaurare fracturam vel illa eadem die, quod melius, si fluxus sanguinis te non impediat vel apostema calidum. Quodsi accidit apostema quomodocunque accidat, tunc dimitte restaurationem ejus usque ad sedationem apostematis et non appropinques ligaturam fortem die tertio vel quarto omnino, ne facias ei accidere accidentia mala. Si autem os fractum est eminens super cutem, tunc oportet, ut coneris eum reducere et ipsum aequare manibus tuis cum facilitate et extensione parva. Si autem non prosperatur extensio ejus et ipsius aequatio manibus nostris, tunc reduc ipsum cum instrumento ferreo aut incidas de eo cum eo quod convenit ex incisoriis aut supra ipsum cum una serreorum, cujus haec est forma[1]), quocunque modo possibile est tibi, deinde rade illud quod remanet in osse ex asperitate. Cum ergo reducitur os et invenit infirmus post reductionem ejus dolorem vehementem laedentem, cum scias quod os non rediit ad locum suum naturalem, tunc iterato extende membrum et aequa digitis tuis. Cum autem completur restauratio tua quam facis ossi, tunc submerge pannum in vino pontico styptico nigro tepido et pone super vulnus, cum membrum fuerit ligatum. Modus autem ligaturae est apponere pannum lini in emplastro infusum et perforatum super vulnus, deinde plumaceolum stupeum etiam perforatum et in emplastro constrictivo involutum, cujus hic est descriptio: Rp. aloës, myrrhae, thuris, acaciae $\overline{aa}$ conficiantur cum albumine ovi, deinde astellas et ligare cum viccis, sicut superius narravimus. Verumtamen est hoc sciendum, quod vulnus debet dimitti detectum et cavere omni cautela ne stringas vulnus sive membrum fractum cum vulnere; multotiens enim stolidi medici faciunt accidere super infirmos suos membri putrefactionem, deinde mortem; sed sit strictura tua levis, et si vulnus est malum aut magnum et dolorosum, tunc non oportet ut ponas super ipsum astellas, sed fac ei involutiones ex pannis ad modum astellae involutis in albumine ovi et stringe cum eis

[1]) Figur fehlt.

membrum et non ponas super vulnus cerotum cum oleo nec aliquid in quo sit oleum, ut non facias accidere in ipso putredinem aut corruptionem. Cum autem post 3 dies aut 4 vides in vulnere saniem generari, tunc auferas pannum quem ponebas cum vino et curetur cum emplastro nostro aureo. Et oportet ut paretur infirmus et vulnus, si possibile est, ut currat cum eo sanies ad inferiora. Quodsi praeterierunt vulneri dies multi et non consolidatur nec abscinditur pus ab eo, tunc scias, quod illic sunt satagiae ossis parvae, quare oportet ut inquiras vulnus cum tenta argentea et remove et extrahe ipsa et quae ex eis non sunt separata et pungunt membrum, conare abscindere ea. Et oportet ut scias, quod quando frangitur os coxae vet adjutorii et eminet super membrum non praesume attractionem ejus nec ipsius extractionem; multotiens enim accidit ex illo mors; immo dimittas ipsum donec putrefiat et cadat per se. Tunc ergo cura vulnus si videtur tibi intromittere.

## De sermone in dislocatione.

Scire oportet quod os continuatur cum osse 4 modis, quorum unus est, qui fit in juncturis, ut est continuatio adjutorii cum osse spatulae; secundus est fixio ossis in osse ut fixio dentium in mandibula est; tertius est insertio ossis in osse, sicut costae quae inseruntur in ossibus pectoris; quartus est ligatio ossium capitis ad modum serrae et pro tanto membrum ossuosum praeter fracturam, de qua non est hic intentio, pati potest dislocationem, separationem, extirpationem et mollificationem. Mollificatio quidem accidit in ossibus pectoris aut in costis insertis in ossibus pectoris et mandibulae. Extirpatio quidem accidit dentibus, scilicet quando evellantur de osse mandibulae. Separatio autem accidit commissuris ossium capitis et menti. Dislocatio vero accidit juncturis et nodosis, unde dislocatio est exitus alicujus juncturarum a loco suo dolorosus et foedatur figura membri. Quando ergo accidit alicui dislocatio, tunc oportet intendere statim ad reductionem ejus, nec tardet eam omnino et sine fomentatione; nec est audiendus sermo illorum, qui dicunt quod in dislocatione tam ab ipso principio quam si per dies steterit dislocatum membrum debeat poni in aqua calida, quia error est et hoc non dicunt nisi modo levitatis discretionis et propter parvitatem speculationis in arte, quoniam aqua calida membrum rarificat et debilitat, igitur disponit ipsum ad recipiendum materiam et humorem currentem ad locum dolentem et ita est causa apostematis; sed si membrum foret induratum per dies aut per ignorantiam medici, tunc bona est infusio aquae calidae et laudanda, cujus haec est decoctio: Rp. malvavisci, florum camomill., malvae $\overline{aa}$, foenugraeci unc. 1, cum aqua decoquantur in qua membrum ponatur quantum calidum sustinere potest et abluatur et cum herbis fricetur; deinde reducatur tunc membrum cum facilitate et curetur cum eo, cujus rememoratio veniet in loco suo.

## De dislocatione mandibulae inferioris.

Parum dislocantur duae mandibulae, nisi rara dislocatio ambarum fit secundum unum duorum modorum: aut enim removentur a locis suis remotione parva et mollificantur parumper

aut dislocantur dislocatione integra et tunc currit saliva infirmi et non potest claudere os nec bene loquitur. Quando autem dislocatur, oportet, ut medicus intromittat pollicem manus suae intra os in radicem linguae mandibulae, si dislocatio est in una, si est ex utraque parte dislocatio, duos pollices et aeques, deinde ponas pulvillos de panno lini cum ceroto facto ex cera et ol. ros. deinde ligentur cum facilitate cum ligamentis mollibus et ejus cibus sit sorbitio levis nec masticare cogatur sive[1]) . . . . . , et si difficilis mandibularum fiat reductio et non convertuntur ad locum suum, multotiens febris, deinde mors[2]) . . . . .

## De curatione dislocationis humeri.

Humerus dislocatur secundum tres modos: unus est ut dislocetur ad partem titillici ad inferiora; secundus est, ut dislocetur ad partem pectoris et fortasse dislocatur ad partem superiorem humeri; sed hoc raro fit. Plurimum quidem dislocatur et egreditur ad inferiora versus titillicum praecipue in macilentis, quia egreditur in eis velociter et ingreditur velociter, in pinguibus vel carnosis e contrario, et fortasse accidit quibusdam hominibus percussio aut casus, unde fit humerus dolorosus et aliquando apostematur ex percussione apostemate calido et stolidus quidem medicus putat propter illud, quia jam fit ibi dislocatio, unde oportet te sapientem ut distinguas inter humerum infirmum et sanum donec stes super certitudinem ejus; nam quando dislocatus est humerus, tu invenies inter eos distantiam et diversitatem manifestam, et invenies in capite humeri concavitatem et sub titillico apud tactum caput humeri quasi ipsum sicut ovum et non potest infirmus reducere manum ejusdem lateris ad axem suam nec movere eam omnibus motibus, et similiter si dislocatur versus pectus aut sursum, tunc tu invenies manifestum tactum nec occultatur, et hujus quidem dislocationis fit facilis reductio, quando est recens aut infirmus est puer. Cujus reductio est, quando est ad inferiora: ut elevet minister manum ejus ad superiora, deinde medicus ponat pollices suos sub titillico ejus et elevet juncturam cum fortitudine ad sursum ad locum suum et minister elevet manum ejus et extendat eam ad sursum, deinde ponat eam inferius; ipse enim redit velociter. Si vero sunt a principio, quo accidit dislocatio dies multi et non redit per illud, tunc balneetur in aqua decoctionis radicis malvavisci, malvae, foenugraeci et melliloti et fiat talis modus reductionis, et est, ut medicus ponat sub titillico speram[3]) panni, deinde tuo ingenio parabis unam particam suspensam bene firmam et ponas sub pedibus infirmi scamnum unum parvum, super quod ascendat infirmus et locabis titillicum infirmum cum spera super particam et brachium ex altero parte sedis attrahat minister ad inferiora et teneat ipsum bene firmum, deinde levetur scamnum desub pedibus infirmi ita quod remaneat suspensus a terra et medicus suis manibus tractet humerum; ipse namque redit statim et junctura ingreditur. Cum ergo completur introitus ejus quocunque modo possibile fuerit,

---

[1]) Lücke, vielleicht durch loqui zu ergänzen.
[2]) Lücke, vielleicht durch sequitur zu ergänzen.
[3]) speram = sphaeram.

tunc oportet ut ponas super humerum totum emplastrum ex pulvere, cujus praecessit narratio, et albumen ovi, deinde sub titillico speram de stupa vel panno et ligetur strictura decenti per totum humerum et tendat cum binda ad partem sanam rediendo ad infirmam et debes scire, quodsi dislocatio tendit ad inferiora, tunc debes ligando cum binda tendere ad superiora et e contrario. Dislocatio autem stellas non requirit, cum binda ampla a cubito usque ad manum ligetur ejus| brachium ad collum et omni cautela et ingenio caveat humerum et brachium usque ad octo dies, tunc renovetur emplastrum. Dieta autem utatur secundum tria sua tempora determinata. Dislocationis autem quae fit versus inferiora ad titillicum aut versus pectus reductio fit cum impulsione cum manibus et tractatione brachii versus partem convenientem donec redeat et administratione ligaturae convenientis. Quodsi accidat post confirmationem juncturae gravitas in membro et tarditas in motu ejus, tunc utatur infirmus balneo donec leviatur illa gravitas et redeat ad naturam ejus primam, nec cum aliis medicinis se intromittat, quoniam remanet aliquando post dolores res, quae sensum habet doloris, nec enim dolor est certus sed est ex summa rerum, quae per se resolvuntur, et torpidus quidem medicus in medicando laborat et nocet ei.

## De curatione dislocationis cubiti.

Junctura quidem cubiti dislocatur cum difficultate et dislocatur praecipue ad anteriorem aut posteriorem partem et ejus dislocatio non occultatur tibi, quoniam est cadens sub visu et sub tactu secundum quamcunque figuram dislocetur et quando conjungis cubitum dislocatum cum sano, declaratur illud tibi manifeste; concavatur enim junctura, et non potes duplicare brachium nec tangere cum eo humerum suum. Oportet autem, ut properes et reducas dislocationem statim antequam accidat ei apostema calidum; nam si accidat ei apostema calidum, difficilis fit ejus reductio et fortasse non sanatur omnino. Quando autem dislocatio est ad superiora, est deterior omnibus speciebus dislocationis et vehementioris doloris eis et aliquando descendit cum ea mors. Restauratio autem cubiti et aliarum juncturarum tam ex parte reductionis quam ligaturae pendet ab usu et bono ingenio nec solum confidendum est in hoc casu in experimentis librorum, unde restauratio non debet tantum confidere de theorica quantum de cognito usu et ingenio naturali, quoniam ingenium naturale adjuvat artem, ut ait Damascenus, et etiam de hac materia, ut dicit Avicenna VI° de naturalibus: ingenium est virtus parans officia animae et naturae, et est differentia inter ingenium et intellectum, quia ingenium est praevium ad intellectum, et est sicut artifex intellectus, quia regulat ipsum intellectum et potest dici et vere, quod ingenium est duplex: nam aliud est naturale, aliud est acquisitum per ipsius exercitationem, et qui bonus est in hac operatione per suum ingenium dicitur prudens, qui vero solum per sua principia, dicitur sapiens, et de hac materia dicit philosophus ethicorum VII°: melius operatur medicus prudens quam sapiens. Idem I° ethicorum: interest artificis cujuslibet addere in arte sua. Hoc autem non potest quis nisi per

ingenium, ideo ingenium sollicitare oportet, ne in vitium in hac arte medicus cadat erroris, sed exhibere studeat modum curationis et hoc faciat quo ad esse, sed quo ad bene esse debet uti cautelis in arte medicinae, et de hac materia Galenus ait: scientia operativa quae non est juncta cautelis, est quasi nuda, sicut ipse recitat de quodam, cui volebat genu dislocatum restaurare. Ligavit ei sanum crus in duobus locis inferius super juncturam pedis per pannum et super genu per quattuor digitos quantum potuit strictura forti cum lentia (?) panni mediocriter grossi, ut provocaret ibi dolorem, ut infirmus non intenderet ad dolorem restaurationis. Unde si dislocatio cubiti est ad anteriora, tunc extendant duo ministri brachium et teneant infirmum ministri duo, ne moveatur apud extensionem et moveatur brachium ad omnem partem et medicus manibus suis tractet juncturam et impellat eam impulsione vehementi, donec ad locum suum redeat naturalem et post reductionem ejus oportet ut ponatur super ipsam emplastrum, in quo sit stypticitas et exsiccatio, sicut diximus, cum albumine ovi et stringatur strictura decenti et suspendat brachium ad collum infirmi et dimittatur diebus aliquot; deinde solvatur et videat, si est bene firmata junctura in suo proprio scemate[1]), caute tamen et plane membrum ducatur aut nullo modo si est in proprio loco et renovetur emplastrum pluribus vicibus et ligamentum. Si autem post affirmationem juncturae remaneat ei gravitas in motu tunc administra humectationem in balneo et fricationem subtilem et pone super juncturam yliacim (?) arietis pinguem et ligetur per diem et noctem vel amplius si necesse fuerit, vel cum butyro et dialthea hoc fiat. Si autem dislocatio fiat ad posteriora vel ad superiora suo ingenio medicus debitam administret extensionem et alia quae diximus per ordinem, quousque sanetur infirmus.

## De dislocatione juncturae manus.

Junctura manus multotiens dislocatur et reductio dislocationis ejus est facilis; verumtamen oportet ut velocitas sit in reductione dislocationis ejus in hora, in qua dislocatur antequam apostematur locus aut accidat in eo apostema calidum, et reductio dislocationis ejus est, ut ponas juncturam manus infirmae super tabulam et extendat minister manum ejus et ponat medicus palmam suam super eminentiam juncturae et expellat eam donec redeat. Verumtamen oportet ut consideretur, si palma jam recessit ad ventrem manus, tunc ponat infirmus dorsum manus suae super tabulam apud extensionem et reductionem et si dislocatio est procedens ad dorsum manus, tunc fit positio manus ejus intrinsece super tabulam, ut cadat manus medici super ipsam eminentiam juncturae donec redeat ad locum suum, deinde pone emplastrum et liga et locetur manus ad collum. Si autem accidat apostema calidum, sedetur apostema, deinde reducatur junctura ad locum naturalem. Quodsi jam praeterierint dies multi a principio dislocationis propter defectum alterius medici aut ignorantiam alicujus, tunc fiat reductio in aqua calida, deinde prosequantur necessaria supradicta, donec sanetur.

---

[1]) scemate = schemate.

## De dislocatione digitorum.

Digitus vero quando dislocatur ad dorsum palmae aut ventrem ejus, tunc extende digitum et impelle dislocationem pollicibus tuis donec redeat, deinde sustenta caput digiti et suspende ipsum versus partem ad quam dislocatur et dimitte ipsum duobus diebus et emplastretur digitus et ligetur donec sanetŭr et similiter fac cum eo, si dislocatur ad ventrem et liga eum ad partem ipsam et fac cum eo operationem tuam cum emplastro et ligatura donec curetur

## De dislocatione spondilium dorsi.

Spondilium dorsi quando accidit aut colli dislocatio completa aut removentur multae spondiles a locis suis, tunc non est in ea curatio, quoniam mors properat infirmo et signum illius est quod egestio infirmi egreditur absque voluntate neque potest tenere eam et mollificantur ex eo quaedam membra ejus scilicet crura aut brachia et fit remotio eadem ad posteriora et anteriora; illa ergo quae movetur ad posteriora nominatur gilbositas. Cum ergo gilbositas accidit a nativitate, tunc non est in ea sanatio omnino. In illa autem quae accidit a casu aut percussione aut similibus illis jam dixerunt antiqui modos curationis sermone prolixo. Ego autem breviter dico, quod in gilbositate quae accidit ab anteriori parte in pectore non est ingenium neque sanatio ex ea et similiter ex illa, quae fit ad duo latera. Sed in illa, quae accidit in dorso ponunt quidam curationem cum extensione in cuneo (?) ligneo. Ego autem nullum per istum modum neque per alium sanari meo tempore vidi et propter hoc oportet ut sit cautela tua in eo, qui dat tibi sensum suum et dictat te cum eo sperans sanitatem, et aegritudo sua est incurabilis. Non ergo oportet, ut distorquere pretium malo modo intendas, sed semper veritatem juxta Rasis his dicere, qui ad te sperant sanitatem, et utaris in curatione omni infirmorum tuorum veritate et radicatione de eo ad quod convertitur salus, et sit cautela nostrae famae vehementior quam cupiditas nostrae rapacitatis. Hoc autem est tibi adjutorium super acquisitionem famae et gloriae atque laudis.

## De curatione hanchae dislocatae.

Scire oportet quod juncturae anchae et humeri juncturae non accidit nisi dislocatio tantum neque accidit eis quod accidit reliquis juncturis ex remotione parva et concavitate, et junctura quidem anchae dislocatur secundum quattuor modos, quod est, quia dislocatur ad interiora et hoc ut plurimum et ad exteriora et anteriora et ad posteriora, sed plurimum quidem ad interiora. Et curatio dislocationis ejus ad interiora est, quia quando tu conjungis crus infirmi sanum cum infirmo est longius infirmo et est genu ejus eminens plus quam sani et non potest infirmus duplicare pedem suum apud inguinem, et est locus qui sequitur inguinem apostemate calido apostematus propterea quod caput coxae jam pervenit illic. Et signum ejus cui accidit dislocatio ad exteriora est, quia sunt accidentia ejus contraria istis accidentibus, et signum ejus cui accidit dislocatio ad anteriora est,

quia expandit crus suum secundum complementum, verumtamen non duplicat ipsum absque dolore, qui est in genu, et si cogatur ad ambulandum non potest super illud ad anteriora et retinetur urina ejus et apostematur in inguine ejus, et apud ambulationem est calcatio ejus super calcaneum. Et signum ejus cui accidit dislocatio ad posteriora est, ut non expandat genu nec possit duplicare ipsum antequam duplicet inguinem et est crus ejus etiam brevius altero et est caput coxae apud locum ylii. — Reductio vero specierum hujusmodi dislocationis est, ut consideret tunc, si dislocatio est vetusta, quae jam antiquata est cum hanca ipsa, tunc non est in ea curatio omnino. Non ergo oportet ut praesumptio fiat ut penitus; in illo autem cujus dislocatio est recens et est ex una quattuor specierum dislocationis, tunc propera ad hoc, ut volvas juncturam et extendas ipsam ad exteriora et ad interiora et ad dextram et sinistram; fortasse enim redit et non indiget alia cura. Si autem non redit hoc modo, tunc oportet ut properet ministrum fortem et extendat crus ejus ab inferiori parte aut cum manibus suis aut cum ligamento quo ligatur supra genu ejus et minister alius extendat manus ejus desuper ita ut intromittat manus suas sub titillicis ejus deinde stringat cum ligamento levi super radicem coxae et teneat extremitatem ligamenti alius tertius, et sit extensio eorum omnium una donec elevetur inferius cum corpore suo a terra et remaneat pendens. Haec enim species extensionis est species communis quattuor speciebus. Si ergo redit dislocatio cum eo quod diximus erit bonum, et si non, tunc necesse est speciei illud quod dicam de curatione propria in reductione ejus quae est propria. Quando dislocatio est ad interiora, est ut resupinetur inferius super latus suum sanum, deinde ponat ligamentum super radicem coxae in eo quod est inter caput coxae et locum qui est sub inguine, deinde extende ligamentum ad sursum a parte inguinis ad altiorem partem corporis ad partem furculae, deinde accipiat minister alius fortis ejus brachia in vacuum (?) et moveat locum grossum coxae infirmae et extendat ad exteriora extensione vehementi; ita enim redit ad locum suum, et haec species est facilioris reductionis quam reducitur hoc membrum.

## De curatione dislocationis genu.

Genu dislocatur secundum tres modos scilicet ad interiora, ad inferiora et posteriora et non dislocatur ad anteriora. Et signum dislocationis ejus est, ut praecipiat infirmo, ut applicet crus suum ad coxam suam. Si autem non adhaeret cum coxa, tunc scias, quod genu est dislocatum, et restauratio omnium membrorum dislocationis est, ut facias sedere infirmum rectum ita quod jam extendit crus suum, si potest adhaerere super illum dorsum tuum ad faciem ejus et pone pedem ejus inter pedes tuos, deinde adhaerere fac genu ejus cum palmis tuis et recta eas inter digitos tuos super genu ejus, deinde applica cum palma tua duo latera genu ejus cum fortitudine et minister alius extendat pedem ejus donec redeat genu ad locum suum et signum reductionis ejus est, ut adhaereat crus cum coxa in levitate non laboriose, deinde emplastra ipsum et adhaerere fac crus suum

cum coxa, deinde liga ea simul cum vicca tribus diebus deinde solve ea et non utatur infirmus ambulatione donec confortetur. Si autem excusatur tibi reductio ejus, tunc administra extensionem fortem cum ligamentis, quorum praecessit narratione anchae.

### De curatione dislocationis cavillae.

Junctura pedis removetur quandoque remotione parva et quandoque dislocatur secundum complementum et dislocatio ejus fit aut ad interiora aut ad exteriora, et signum dislocationis ejus est, quod vides cavillam inflatam procedentem ad partem ad quam dislocatur. Curatio autem remotionis ejus est facilis reductionis et est: ut extendatur cum facilitate cum manibus et aequetur donec redeat. In curatione autem ejus, quando dislocatur secundum complementum oportet ut facias sedere infirmum rectum et teneat ipsum minister fortis validus a posteriori parte ejus, deinde trahe pedem ad te cum manu tua dextra, deinde cum sinistra duabus vicibus, deinde extende cum sinistra et impelle pectus pedis ad crus in vice tertia et tu trahis cavillam. Si ergo redit in vice una aut in duabus secundum hunc modum et vides pedem aequatum, est bonum, et si non tunc itera operationem super ipsum, quoniam ipse redit. Si autem prohibetur tibi reditio ejus cum eo quod narravimus, tunc fac jacere infirmum super dorsum suum super terram et fige paxillum in terra firma cum valle ut cadat inter coxas, et tu jam involvisti super ipsum pannum ut non laedat infirmum, deinde teneat minister coxam ejus, deinde extendat minister alter pedem aut cum manibus suis aut cum ligamento quod liget super collum pedis, deinde extendat omnis minister contraextensionem operis sui et paxillus sit stans inter duas coxas infirmi retinens eum ut non attrahatur corpus ejus ad inferiora apud extensionem, deinde aequet medicus dislocationem manibus suis et minister alter teneat crus sanum ad inferiora; nam dislocatio redit cum velocitate. Quando ergo redit dislocatio et declaratur tibi sanitas reditionis ejus, tunc pone emplastrum et stupam ut in aliis diximus capitulis et stringe firmiter pedem cum ligamento ad crus ut oportet ut timeas de nervis, qui sunt super calcaneum posterius et non sit ligamentum super os vehemens et laedat os, deinde dimitte ipsum duobus diebus aut tribus; quodsi mollificatur ligamentum, stringe ipsum et prohibe infirmum ab ambulatione triginta diebus. Si autem cogatur ambulare ante illud spatium, non sit securitas quin dissolvatur super ipsum dislocatio et corrumpatur et non recipiat post illud curationem. Quodsi accidat ei apostema calidum, tunc oportet, ut administretur in sedatione ejus illud, in quo praecessit narratio nostra ex curatione et embrocatione, donec removeatur, deinde redire oportet ad curationem dislocationis.

### De dislocatione digitorum pedis.

In dislocatione autem digitorum pedis oportet ut aequetur quod dislocatur ex eis cum extensione pauca absque labore et illud quod non est difficile, immo facile est; oportet autem ut reducatur ad locum suum et ligetur cum emplastro et cum tabula posita super ventre pedis et fac quiescere cum omni ambulatione diebus multis donec stringatur.

## De speciebus dislocationis quae fit cum vulnere aut fractura.

Quando accidit dislocatio juncturarum cum vulnere vel fractura multotiens succedit mors et propter illud non oportet nec praesumat super curationem ejus, qui est hujusmodi nisi qui est prudens in arte et longe usus, misericors, pius, tardus, non audax, nec praesumptuosus. In quo ergo apparet quiddam spei, conare reductionem ejus statim a principio rei antequam accidat apostema calidum. Si autem redit membrum secundum quod voluimus, tunc administra regimen quod prohibeat apostema ibi generari calidum, et cura vulnus cum eo quod convenit ei ex unguentis desiccativis. Quodsi dislocatio est cum fractura et accidunt in osse satagiae separatae, tunc conare ablationem earum et fac in illo, quod diximus in aegritudinibus simplicibus ex eo quod processit in locis eorum et cave secundum tuam virtutem et custodi te ipsum ab introitu in vias timoris secundum quod praecessit praedictio mea tibi; nam illud est melius tibi apud Creatorem tuum et magis permanens ad gloriam et bonam famam. Ne te igitur intromittas in periculosis nec intromittas nisi cum vera pronosticatione et bono salario.

## Sermo in curatione spasmi.

Spasmus est tractio nervorum et lacertorum corporis maxime in collo et cervice existentium ex inanitione vel repletione proveniens. Est autem spasmus triplex: aut est anterior tantum aut posterior tantum aut est anterior et posterior simul, et dicitur tetanus, unde Galenus spasmum aut ex repletione et humiditate aut ex inanitione et siccitate fieri ait. Et ejus ex repletione cura facilis et sanatur cito si a causa accidat antecedente; ejus, qui ex inanitione, difficilis valde, immo ut plurimum mortiferus nisi forte puer sit patiens. Oportet autem intelligamus, quia si vulnerato vel ex nervo puncto vel sano homini subito spasmus veniat, ex plenitudine necesse est efficiatur; si post acutas aegritudines sive cronicas aut post multum fluxum sanguinis ex arteria incisa vel laborem sive vigilias spasmatio alicui accidat, ex inanitione intelligas et mortalis. Si autem spasmum in sano vel vulnerato videamus sine febre, sanguineum de media vena flebotomamus, si flebotomiae attestantur condiciones. Si autem fit ex humoribus aliis, ventrem laxare cum hieralogodion aut simili convenit; clystere autem omnibus convenit complexionibus et expedit, et thiriacae unc. $^1/_2$, cum vino decoctionis aneti dare consuevimus. Sed non oportet ut non semel sed paulatim et pluribus vicibus laxative corpus inanire, deinde balneum aquae parare facimus, in quo herbas decoqueris calefacientes et dissolventes membrum, ut est ruta, salvia, laurus et camomillum, deinde hoc oleo ungas: Rp. olei nardi aut viol. dr. 2, castorei dr. 1, euforb. pyrethri $\overline{aa}$ unc. $^1/_2$, terenda terantur et bulliant in oleo viol. et colentur et hoc demum datur post balneum vel fricationem, deinde ungue hoc unguento: Rp. cost. dr. 5, euforb. dr. 3, pyrethri dr. 2, ammonii dr. $^1/_2$, ol. viol. vel costi dr. $^1/_2$, cerae alb. dr. 1, terebinth. dr. $^1/_2$, croci dr. 1, pulverizanda pulverizentur et dissol-

venda dissolvantur et ad ignem incorporentur et de hoc ungatur. Cum autem ex inanitione sit spasmus, ut ait Galenus, curam non suscipit nec sanatur; sed si intromittere te oporteat et spasmatus sit puer, locum spasmatum inungendum est cum lacte asinae vel mulieris puellam lactantis, primo cum ablutione faciei cum aqua decoctionis violar., malvar. et ordei aut cum oleo amygdalarum dulcium conquassato cum lacte mulieris et asinae et panno infuso superpone aut fiat unguentum, cujus haec est assignatio: Rp. muscillaginis seminis lini et foenugraeci $\overline{aa}$, adipis gallinae sive anatis, cruris bovis medullae dr. 1, ol. camomill. unc. 2, cerae unc. 1, olibani unc. $^1/_2$, croci dr. 1, conficiantur ad ignem et de hoc ungatur; quodsi natura infirmi fuerit desiccata, fiat clystere ex decoctione capitum et pedum agnorum, ol. violar., cassiae fistulae et malvar. Cibum autem expedit esse agnorum pedes et aliorum animalium et carnes edinas. Caveat a salsis, aceto et sale. Si autem accidat et si superveniens vulneri hoc unguento curatur: Rp. ol. aneti dr. 1. petrolei unc. $1^1/_2$, ol. communis unc. 1, butyri unc 5, storacis calidae, rubeae $\overline{aa}$ dr. $^1/_2$, gummi ederae unc. 4, confice sic ut omnia simul conficiantur, prius terenda terantur et liquefacienda liquefiant et super ignem ponantur et cum spatula agitando, ultimo cum ad spissitudinem venerit et coctum fuerit superponatur storax, ultimo vero pulvis et fiat inunctio de eo tepido in aestate, in hieme vero ad ignem et bene calido inter inguina, in cervice, collo et spina et in toto corpore.

## Tractatus de regimine convalescentium tuorum infirmorum atque post tuas curas sanorum ita quod alio non indigeant physico.

In omni genere custodiae sanitatis oportet adhibere consuetudinis speculationem, cum sit haec speculatio porta magna in conservatione sanitatis sive ipsius temperationis et curationis aegritudinis. Regimen autem ipsum proprium est regimen corporum complexionem naturalem numerumque custodiens et altera ejus est custodia sanitatis temperatorum corporum et altera vero corporum extra temperamentum positorum. Dicimus ergo, quod custodia sanitatis corporum temperatorum est per ea quae consonantia sunt habitudinibus in quibus sunt. Sunt vero hae aër, exercitium, balneum, cibus, potus, somnus, vigiliae, coitus, mundatio corporum, animae accidentia et speculatio horum intra quod opus est in quantitate, qualitate, ordine et temporibus anni. Dicimus itaque corporum hominis et animalium brutorum omnium esse mutari et alterari semper nec habent manere in una qualitate ex eo quod inest naturae eorum ad corruptionem tendere et nihilationem et haec quidem corruptis et nihilatis accidunt corporibus aut ex necessitate aut post necessitatem quorum necessaria est corruptio aut ab intus aut ab extra. Ab intus autem accidit aut causa siccitatis naturalis, quae universalis est et animalibus et plantis, per quam scilicet cum tendunt plantae ad macrorem et siccitatem vel ad finem et mortem aut ex dissolutione ejus substantiae cotidianae ex causa caloris naturalis donec urgeat ea ad corruptionem et finem; accidit etiam illi corruptio ab intus ex superfluitatibus, quae ex cibis et potibus fiunt; quod

autem accidit corruptionis necessariae ab extra est aëris causa circumdantis nos; non necessaria vero corruptio est quod obviat extra rerum corrumpentium quemadmodum ea quae calefaciunt aut infrigidant, desiccant aut humectant sicut et collisio lapidis, incisio ensis, pungi et morderi a venenatis. Causa nempe qua fit defectus naturalis, movetur ab ipsa natura corporum; hunc enim defectum arcere impossibilium est aut si medicus utatur regimine quo oportet in corporibus uti ad cavendum scilicet causas nocentes, quae faciunt duo praemissa necessaria, non accetelabit ad illa corruptio aut defectus; hic est finis praeter naturam, unde dignior est: conservatio sanitatis medicatione aegroti cum artis medicamine sit finis securitas. Praeterea sanitas in sanis est, quae in aegrotis privatur. Quid possemus enim nos redargui ab aliquo eo quod loquimur in sermonibus physicorum, cum sanitatis conservatio non videatur de intentione cyrurgicorum, in quantum cyrurgia est tertium instrumentum; sed talis redargutio non esset nisi modo levitatis discretionis et propter parvitatem speculationis in arte. Cum consideratio medici sit, qualiter aegritudo removeatur et sanitas habita conservetur, pro tanto hic quaedam universalia de conservatione securitatis recuperare ordine compilabo, ut noster infirmus de genere nobilium post temperationem sanitatis errorem non incurrat. Malui igitur paulo infirmus videri (?) quam de regimine sanitatis non tractare, cum solum intendam canones ponere universales de regimine convalescentis post recuperationem sanitatis.

### De regimine sanitatis secundum habitudinem aëris.

Oportet autem volentem custodiam habere suae sanitatis habitare loca aëris clari, subtilis, amoeni, delectabilis, neque ei misceantur vapores mali; aër enim una est causarum fortium in mutatione corporum tam sanorum quam infirmorum eo quod maxima fit necessitas vitae ad illum.

### De regimine in vere.

Vere oportet esse regimen per victum temperatum et cetera regimina temperata et si quis vult purgari aut flebotomo aut pharmacia ad custodiam sanitatis, hoc tempore faciat, ut evacuentur humores congregati tempore hiemis antequam liquefiant calore aestatis et defluant in aliquo membrorum et generetur aegritudo. Hoc autem tempus explicat sanguinem et patitur tamquam ebullitionem et si venae non possunt illum continere, repellunt illum ad alia membra, et generantur passiones. Hoc autem tempus opportunum est omnibus aetatibus et complexionibus maxime his, quorum est complexio frigida et sicca.

### De regimine in aestate.

Aestate autem oportet regimen inclinari a temperatis ad frigida et humectantia sicut habitacula in locis proximis decursui aquarum optimarum, fenestrae consistorii apertae septentrionis et oportet victum esse mediocrem subtilem, cito digestibilem, et sunt pulli gallinarum, scannae, caro edulina cum frigidis succis parata,

lapidosi pisciculi, pulli gallinarum in pastis compositis et diversis modis parati, fructum autem poma, pruna persica, uvas mala granata, ficus bene maturae. Caveatur autem victus calidus pungens et colerum generans rubeam, ut cepe, mel, caseus, piper et allium, sinapis et similia. Bibatur vinum album, abstineat ab usa Veneris, caveant laxativa acuta; vomitus semel in mense oportunus; congruum est hoc tempus senibus et flegmaticis.

### De regimine in autumno.

Autumnus vero frigidus est et siccus, in quo regimen inclinari oportet ad calidum et humidum, nec det se quisquam nudatum nec nocturnae nec matutinali[1]) ..... Victus autem sit calidus et humidus, generans bonum sanguinem, quoniam in hoc tempore melancholia praedunatur et a cibis multis generatur. ut est panis multi furfuris, lenticulae, caules, caro vaccina et caro silvestris; bonum autem generans sanguinem, ut caro castrativa et parvi caprarum castrati pulli, parvi gallinacei, borago, foeniculus et similia. Fructus autem caveantur virides. Hoc tempus est conveniens temperatis in caliditate et humiditate et adversatur melancholicis. Caveatur coitus et accidentia animae praeter gaudium et laetitiam. Congruum est pueris et adolescentibus.

### De regimine in hieme.

Hieme, quoniam ipsa est frigida et humida, oportet esse dietam regiminis temperatorum corporum calidam et siccam; utendum autem pluribus vestibus, calefieri quoque convenit ad ignem laudabilium lignorum et siccorum, et exercitatione plus hoc tempore utendum est; dieta vero grossior quia digestio fit melior, ut caro mutovina in culina caprorum castrorum assata aut frixa, passeres, gallinae et galli veteres et similia, parum bibere oportet, sed fortis caloris, ut vinum nigrum vetus et parum commixtum, et hi quidem. qui calidae sunt et siccae complexionis ac juvenes hoc tempore oportunarum sunt habitudinum, at vero senex et quibus frigida et humida complexio graviorum sunt dispositionum.

### De regimine per exercitium.

Moderatum exercitium ante cibum calorem confortat naturalem et excitat appetitum: post cibum autem exercitium cavendum est, donec cibus a stomacho descendat. Si autem cibus crudus a stomacho in intestina, deinde ad venas descendit, unde fit opilatio, nec etiam oportet exercitium cum labore, cum quis famem patitur, quoniam calorem consumit naturalem et pustulas generat ulcerosas. Oportet etiam convalescentes ab aegritudinibus extrinsecis, ut fistula, vulneribus ventris, cruris, brachii et in rupturis post tempus suae sanitatis exercitium cum labore vitare.

### De regimine per balneum.

Balneatio autem non fiat statim post exercitium, et antequam intret quis balneum, ungat corpus suum oleo, ut aperiantur

---

[1]) Lücke, vielleicht durch frigiditati zu ergänzen.

pori, et evacuentur per sudorem superfluitates; deinde fricentur membra cum manutergiis. Caveatur balneum post cibum, ne caput repleatur vaporibus et fiant morbi pessimi et ut non supercalefactionem incurrat epar nec oportet prandere statim post exitum a balneo. Illud autem te scire convenit, quoniam post cibum prima digestione celebrata oportunum est balneum his, qui graciles sunt corpore, sic enim non fit in epate eorum opilatio, et cum exierit a balneo quis reficiatur syrupo viol., pane in vino infuso, aq. ros. in facies ejus roretur.

## De regimine per cibum.

Omnino oportet speculari in utendis cibis sex habitudines, quarum prima est qualitas ciborum et convenientia eorum corpori, secunda quantitas, tertia ordo eorum, quarta tempus quo porrigantur, quinta qualitas appetitus, sexta vero ex membris quae patiuntur. Cibi autem grossi ut caro vaccina et panis azymus et similia conveniunt laborantibus. Si autem non exercitantes, quibus debilis fuerit in stomacho calor et pauca colera, comederint cibos grossos, non digeruntur, sed generant chymos grossos et opilationes. Cibi autem subtiles sunt sicut caro pullorum gallinae, ova sorbilia, caro edina, scannae et similia, congruunt ei qui non laborat et cui debilis est in stomacho calor. Si autem exercitantes his utantur, mutantur in stomacho eorum in fumositates, quoniam qui habet in stomacho fortem calorem ad digerendum cibaria dura et grossa, ut carnes bufalinas, franquellinas vero non digerit, sed convertitur in fumositates talis cibus, quoniam grosso indiget cibo super quo calor naturalis fortis operetur. Comedens autem terat optime molaribus cibum et quae coquenda bene coquantur, ut obedientior sit digestioni stomachi et oportet, ut praeponat cibos facile descendentes a stomacho vel qui morantur etiam qui molliunt ventrem illis qui stringunt, ut sunt melones, persica brodia sorbilia, et si postponantur cum facilis sint digestionis, non possunt descendere, corrumpuntur et corrumpunt et jam inferiorem descensum prohibentem faciunt; sic autem est in grossis cibis; grossus autem cibus non cito digestibilis oportet ut praecedat subtilem et cito digestibilem, ut carnes castrativas, antequam pullos parvos quis comedat, et vaccinas antequam castrativas, quoniam profunditas stomachi calidior est alto ejus et melioris digestionis. Si autem sit infirmitas in aliquo membrorum oportet uti cibis conferentibus illi membro et cavendus est qui nutrit et augmentat malum infirmitatis. Coena autem laudabilior est prandio, eo quod in nocte laudabilior fit digestio nisi quod coena tantum unum habet vitium, scilicet quod nocet oculis debilibus et infirmis super ascensum vaporis ad cerebrum in stomacho resoluti. Hanc autem laudo per omnia tempora anni praeterquam in aestate, quoniam tunc pauca aut nulla fit digestio in nocte tum propter parvitatem somni tum propter depauperationem caloris naturalis, ut in interioribus, ut in stomacho, quoniam tempore hoc calor naturalis revocatur ad exteriora ut ad suum simile et oportet ut fiat ante solis occasum, ut non dormiat stomacho repleto.

## De regimine per potum.

Potus aquae non convenit stomacho jejuno neque nocte neque post coitum nec statim post balneum nec post forte exercitium nec in prandio nisi sedando sitis gratia ex ea parvi; cum autem refectus fuerit bibat frigidam; potus enim vini si debitus fuerit, calorem confortat naturalem, cibum per membrum conducit, mitigat melancholiam, animam confortat, provocat gaudium et delectationem, convenit omnibus complexionibus; nocet enim illi, cujus nervi debiles sunt aut cujus complexio abundat in calore et febricitantibus et vulneratis in locis nervosis et laesis in myringis cerebri nisi ejus reprimatur malicia compositione nostra et emplastro, cum quibus nostros vulneratos curare diximus: projicias in vas unum rosas integras et amygdalas dulces, et qui omnino vult eum vincere, infundat in eo panem sinulae a corticibus suis omnino exspoliatum sex horis antequam sumat, deinde coletur et bibat et post eum sumat granata aut lactucas jejuno stomacho; istis magis nocet.

## De regimine per somnum.

Somnum vero oportet esse post prandium et temperatum; sed cavere oportet repletum multis et variis cibis, ne dormiat donec a stomacho solvatur cibus, ne forte superet materiae naturalem calorem. Somnus enim est eorum, quae digestionem calorum adjuvant. Vigiliis omnino uti non convenit; calefaciunt etenim et desiccant et prohibent digestionem fieri.

## De regimine per coitum.

Coitu uti potest saepius calidus et humidus; parum autem utatur, cujus complexio frigida est et sicca, sed nequam quis utatur in saturatione et repletione ciborum et potus, nec non dum fames est nec statim post laborem aut post balneum aut in balneo neque post inanitionem, minuatur quoque in autumno, optimum autem coitui tempus est ver, deinde hiems; hora autem post digestionem secundam et ciborum descensum a stomacho in intestina ac ante somnum. Coitus autem si fiat a desiderio sano, quod non excitat aspectus aut intuitus aut pruritus aut aliquid aliud tale sed commovent ipsum illa tria, quae requiruntur ad coitum, scilicet materia, ventositas, desiderium, inducit multa juvamenta; nam corpus alleviat et sequitur ipsum multitudo, expulsio cogitationis dominantis et acquisitio audaciae et edomatio irae superfluae et confert melancholiae et aegritudinibus melancholicis, et plurimorum quorum complexio requirit coitum, cum ipsum dimittunt, infrigidatur corpus et quandoque accidit viro ex dimissione coitus et abundantia spermatis conversio ipsius ad ventositatem et vaporem malum venenosum et derivatur ad cor et cerebrum et inficit ea sicut accidit mulieribus ex coartatione matricis. Si autem artificiose provocatur voluntas et fiat superfluus, evacuat de substantia cibi postremi et de substantia spiritus rem plurimam propter delectationem et solvit caliditatem corporis innatam et accidit ei tinnitus, pallor, citrinitas, extenuatio, debilitas nervorum, dolor renum et vesicae. Vitanda est mulier,

quae abortum saepe patitur, et figurae quidem coitus sunt malae, scilicet quando mulier ascendit virum, quia dubitatur, num est inflatio, ulceratio virgae et vesicae. Sperma vero ebrii, decrepiti, infantis, multi coitus et habentis virgam longam valde non generat, nec generat ille, cui venae, quae sunt post aures inciduntur.

### De regimine per accidentia animae.

Tristitiam quidem non oportet aliquem frequentare nec iram nec multiplicare curam aut cogitationem· Invidia omnino fugiatur; quare oportet cavere hominem hujusmodi animae accidentia et assuescat gaudium et laetitiam; haec enim confortant animam et naturalem conservant calorem.

### De regimine per qualitates corporum.

Corporum qualitates sunt sex, quarum una est pinguedo, secunda macies, tertia temperata, quarta spissa, quinta rara, sexta media inter pinguedinem et maciem ac spissitudinem et raritatem. Temperata autem est melioris habitudinis et diuturnioris sanitatis; pinguia mala sunt valde et maxime pinguia natura, quoniam parata sunt ad malas aegritudines tum propter stricticitatem venarum tum propter multitudinem superfluitatum. Hanc autem sequitur suffocatio caloris naturalis, paralysis, apoplexia, difficultas hanelitus et similia. Macilenta etiam corpora mala, quoniam in eis dominatur siccitas nec possunt pati obviam caloris et frigoris eo quod membra eorum carne sunt nuda.

### De regimine impinguandi.

Causae vero quae ipsum corpus impinguant et humectant, hae sunt: requies corporis, laetitia mentis, jocunda societas et calida cibaria et humida, ut sunt carnes agnorum agnualium et edorum lactantium, et capita eorum elixata et deinde cum oleo porcino suffrixa, et crassata de gallinis et anseribus et pulli columbarum pinguium, anates scisi cum lacte et pisces recentes et potatio dulcis vini et sumptio mellis humidi, potatio lactis et dormitio post prandium super suavia stramina, in aestate in locis frigidis, in hieme vero in calidis, balneatio aquae dulcis et parum stare in eis, odorare odores animam jocundantes, exercere vomitum semel in mense et maxime in aestate, quia abluit stomachum a malis humoribus, solaciari cum instrumentis musicorum, videre et delectari in rebus formosis et indui speciosissimis vestibus.

### De regimine attenuandi.

Attenuatio autem crassi fit usu multi exercitii et diminutione cibi et potus, longa mora ad solem, vigiliae, dormire ante prandium super lectos duros, mentem sollicitare tristitia, invidia, melancholia, balneatio in aquis salsis, comedere salsos cibos, dolores, fluxus, tremitus et usus nimius Veneris, comedere cibaria parvi nutrimenti et multae quantitatis, ut est panis furfureus et olera atque fructus.

## De flebotomia venarum.

Venae quae ex more in flebotomia incidi solent, sunt 30 numero, ex quibus in capite sunt duae venae pulsatiles, quae sunt post aures et duae arteriae, quae sunt in duobus temporibus apparentes, et duae venae quae sunt in duobus lacrimalibus duorum oculorum et vena quae apparet in medio frontis et vena quae est in extremitate nasi et duae guidegi quae sunt in collo et duae venae quae sunt in labio inferiore et duae venae quae sunt sub lingua. Venae autem quae flebotomantur in brachio sunt sex in omni brachio: una earum est cephalica et est in latere silvestri et nominat eam vulgus venam capitis et fusca, et est vena media, et est composita ex ramo basilicae et ex ramo cephalicae et nominat eam vulgus venam communem. Et basilica est posita in latere domestico brachii et nominat eam vulgus venam epatis ventris et funis brachii et est posita super focile, quod apparet super pollicem. Et salvatella est vena, quae est inter annularem et auricularem, et astellaris et est sub brachio et est ramus basilicae. Et in crure et pede sunt tres venae, quarum una est sub poplitis curvatura et latere silvestri et est sophena et locus ejus est apud calcaneum ex latere domestico et vena scebilem quam vulgus nominat sciaticam et locus ejus apud calcaneum ex latere silvestri. Et in crure alio sunt tres venae similes illis. Cum ergo flebotomia sit evacuatio universalis, quae multitudinem evacuat, oportet praemeditari, ubi et quare flebotomia conferat. Et nemo quidem est flebotomandus nisi unus duorum: unus eorum est aegritudinibus praeparatus, qui cum sanguis fuerit multiplicatus cadet in eas: unusquisque autem eorum aut flebotomatur propter sanguinis multitudinem aut propter ipsius maliciam aut propter utrumque et is qui aegritudinibus praeparatus ut illi, quibus percussio accidit aut casus, quandoque minuuntur timendo ne eis accidat apostema; ibi quoque cavere debes a minutione in complexione vehementis frigiditatis et in regionibus frigidis et hora fortis doloris et post balneum resolutivum et post coitum et in aetate, quae cum minor 14 annis quanto plus poteris, et in decrepitis et in praegnantibus in tribus primis et ultimis mensibus neque in hydropisi nec in soliditate musculorum et venarum; adolescentes tamen ad flebotomandum paulatim movere debes cum minutione pauca. In corporibus quoque fortis maciei et fortis graciei et albis et raris laxis et citrinis sanguinem non habentibus a minutione quanto plus poteris cavere tibi debes, et in convalescentibus de colericis aegritudinibus et super repletionem cibi et in repletione stomachi et intestinorum repletione ex faece, nisi primo corpus laxetur et si non alio tamen cum clysteri nec per fastiditivum, sed expecta ejus digestionem, nec in debilitate stomachi. In flebotomia dies est eligenda austrina; dormire autem post flebotomiam tria inducit inconvenientia, quorum unum est in membris confractio, secundum est incensum superfluitatum, quae trahuntur cum sanguine quia in somno trahuntur ad profundum corporis. Tertium vero est continuus fluxus sanguinis ex operatione venae. In venis autem brachii ut in mediana et basilica, nisi a prudenti flebotomo-

matore aperiantur, consistit interdum periculum; nam in mediana est timor propter nervum, qui est sub ea; in basilica propter arteriam, quae est sub ea; ideo in his duabus non oportet ultimare flebotomum pungentem sed secare versus brachium. In cephalica vero devitare oportet caput lacerti. Si autem nervus pungitur brachium apostematur, unde sequitur dubium, et si arteria pungitur sequitur inde sanguinis fluxus subtilis rubeus et cum saltu, interdum difficile abscinditur. Si autem caput pungitur lacerti, inflatur brachium, quorum remedia in quinto libro scribemus. — Flebotomiae vero duarum venarum, quae sunt post aures, juvamemtum est ad catarrhos antiquos et emigraneam et saphati et ad ulcera capitis mala et antiqua, et qualitas flebotomandi eas est, ut caput radatur et fricetur occipitium cum panno aspero, deinde stringatur gula cum vicco donec appareant duae venae post aures in duobus locis depressis capitis. Quaere ergo eas digito tuo, et ubi sentis pulsum, signa cum encausto et flebotoma cum flebotomo cutellari ex transverso usque ad os. Duarum vero arteriarum quae sunt in timporibus duobus juvamentum est flebotomiae ad sodam et obtalmiam assíduam et cursum superfluitatum ad oculos. Modus flebotomandi est stringere collum cum vicca, deinde invenies digito tuo arterias, et signa cum incausto, dimitte flebotomum sub arteria et incide ex transverso et fac currere ex sanguine usque ad 6 uncias, deinde solve ligaturam et pone cotum et pulvillos cum ligatura donec sanetur; sed nihil causae inveni eas cauterizare cauterio cutellari. Juvamentum vero flebotomiae venae frontis et post flebotomiam cephalicae ad aegritudines faciei antiquas et ad emigraneam et rubedinem et ulcera foetida. Stringatur gula infirmi et flebotometur cum flebotomo lato, deinde consolidetur. Juvamentum autem duarum venarum, quae sunt in duobus lacrimalibus duorum oculorum est ad oculum ex scabie et rubedine et sebel in oculo et aegritudinibus faciei. Stringatur collum cum vicca et fiat flebotomia secundum transversum ad longitudinem parum cum flebotomo lato parvo. Venae autem nasi flebotomia est conferens ad febrem acutam et sodam vehementem et rubedinem, quae accidit in facie. Stringatur collum infirmi, deinde tene nasum cum manu tua sinistra et accipe flebotomum subtilem longum et fige eum in medio leporis ipsius et est illud quod distinguit nasum secundum rectitudinem, quoniam vena apparet sensui illic, et ultima parumper manum cum flebotomo et facias currere ex sanguine secundum necessitatem, deinde liga una nocte. Duarum vero guidegi flebotomiae juvamentum est ad constrictionem anelitus et interceptionem leprae et aegritudines melancholicas et ulcera mala ex corrodentibus. Stringatur collum infirmi sub utrisque, flebotoma unam secundum longitudinem et extrahas de sanguine secundum necessitatem, similiter de alia fac vena. Duarum venarum quae sunt in labio flebotomiae juvamentum est ad alcola in ore et corrosionem gingivarum et ulcera mala. Stringatur collum et subtilietur labium cum vicca et flebotomentur duae venae magnae, quae apparent apparitione manifesta, plurimum quidem flebotomentur in labio inferiore. Duarum vero venarum, quae sunt sub lingua flebotomiae juvamentum est post flebotomiam cephalicae ad praefocationem in gutture et aegritu-

dines uvulae et ad squinantiam et aegritudines oris. Stringatur gula et includatur lingua extracta in canna scissa et elevetur ad partem superiorem, et vena ex utraque parte linguae apparet nigra. Flebotoma ergo utramque et cave ne ultimes manum tuam cum flebotomo; nam sub eis sunt arteriae. Basilicae aut quae est in parte silvestri brachii flebotomiae juvamentum est, quia extrahit sanguinem ex aegritudinibus, quae sunt in eo quod sequitur ventrem. Venae autem medianae flebotomia sanguinem extrahit ex superiori parte et inferiori corporis, propterea quia est composita ex ramo basilicae et ramo cephalicae. Flebotomia vero venae cephalicae sanguinem extrahit, qui est super furcula ex capite; funis vero brachii flebotomatur loco fuscae et basilicae; cum non inveniuntur, intromittatur manus infirmi in aqua calida et fricetur parum, deinde stringatur, deinde flebotometur supra juncturam parum secundum longitudinem quasi et dimittat manum in aqua calida donec sanguis egrediatur secundum necessitatem et sub ista vena non est arteria neque nervus. Flebotomia vero salvatellae manus dextrae est conferens aegritudinibus epatis et ponitur in aqua et ligatur; manus vero sinistrae est conferens aegritudinibus splenis, sed in ipsa peragratione lunae flebotometur. Saphenae vero flebotomiae juvamentum est ad aegritudines, quae sunt in inferiori parte capitis sicut aegritudines sunt matricis et retentio menstruorum et infirmitates renum et ulcera coxarum et crurium antiqua; intromittat pedem suum in aqua calida et fricetur et ligetur supra juncturam pedis cum fascia vel corrigia; flebotometur apud calcaneum ex latere domestico sub cavilla pedis apud aggregationes ejus ramorum, quod melius est quam in facie pedis ex transverso. Venae autem sciaticae locus est apud calcaneum ex latere silvestri et juvamentum flebotomiae ejus est ad dolorem anchae, quando est propter sanguinem; ipsa vero in pluribus hominibus est occulta; si autem non apparet tibi, flebotoma ramum ejus, et est in dorso pedis quasi inter minutum et funem (?) collaterale et cave a nervis. Sciatica autem et sophena in loco suo a nervis vel arteriis sunt securae. — Flebotomia quoque duas habet horas, electam scilicet et necessariam. Necessaria quidem est in morbis acutis et peracutis, et talis qualibet hora diei vel noctis est facienda. Electa vero est in conservatione sanitatis et refrenatione cursus humorum ad aliquem locum et haec debet fieri jejuno stomacho nec expectare oportet donec novilunium tantum crescat quam recedat a sole et cave ne sit luna in tauro vel in pisce, et praecave si fuerit luna in conjunctione existens in signo aquatico; sit autem luna in libra vel scorpione, et postquam duae vel tres horae diei praeterierunt et faecis superfluitas fuerit expulsa. Haec autem regula scilicet de cibo et hora diei veritatem habet in tribus venis brachii; in aliis vero quae flebotomantur in toto corpore primo cibo infirmus reficiendus est et post sextam horam flebotometur; post flebotomiam caveat quilibet a repletione cibi et potus, et a cibis coleram et melancholiam generantibus per tres dies abstineat; comedat ova sorbilia et carnes leves cum agresta.

## Capitulum de ventosis.

Ventosae vero non nisi sanguinem ex parvis venis trahunt et cutis partem magis mundificant quam flebotomia nec extrahunt sicut oportet immo quod ex eo vehementer est subtile et cum difficultate et in membro ventosato debilitatem inducit. Sunt autem ventosae ex aere, vitro et igne et argento. Et ventosatio quidem fit secundum duos modos: aut cum scarificatione, igne et extractione sanguinis aut ventosatio sine scarificatione et sine igne et aliquando cum igne. Famosa autem loca in quibus administrantur cum scarificatione et sanguinis extractione sunt ista: locus qui est inter duo cornua in postremo capitis et in medio colli et sub mento et sub mandibula inferiori et in adjutoriis et inter spatulas et super finem caudae et duorum crurium et duarum cavillarum et super naticas. Et in ventosis cum scarificatione sit luna deficiens lumine. — Ventosa quidem posita super postremum capitis inter duo cornua confert gravitati capitis et debilitati oculorum et doloribus dentium; sed nihil loco assuescere cavere oportet, quoniam hereditare faciunt oblivionem, cum posterior pars capitis locus sit conservationis et faciunt stupiditatem et intellectum impediunt et brevi in omnibus contrariantur nisi quod solum conferunt aegritudinibus oculorum. Ventosatio autem sub mento confert alcola in ore et corruptioni gingivae. Ventosatio quidem super nucham in medio colli vitanda est, quoniam capitis tremorem inducit. Ventosatio inter spatulas cardiacae, quae est ex repletione et caliditate, confert et aegritudinibus pectoris sanguineis, sed si eas quis assuescat, stomachum debilitant et cordis tremorem generant. Ventosatio autem quae ponitur super finem caudae confert emorroydibus ani et visceribus inferioribus et sit ventosa magna. Ventosatio vero interioribus partibus duorum focilium brachiorum confert juvamentum trium venarum, basilicae, fuscae et cephalicae, quoniam ipsa attrahit sanguinem ex omnibus suis venis minutis, et illae minutae attrahunt a magnis; sed scarificationes non oportet ultimare, quoniam locus est denudatus carne et sub ea sunt nervi et arteriae. Ventosae autem crurium minuunt minutione manifesta, quoniam attrahunt sanguinem ex toto corpore et conferunt doloribus in renibus et matricis et vesicae et conferunt bothor et provocant menstrua et varices. Ventosa duarum cavillarum confert in distorsione cum nigredine et tumore ne locus apostemetur. Ventosae super duas anchas conferunt sciaticae et podagrae; oportet autem ministrare ex oleis apud positiones ventosarum, cujus pori sunt stricti, aperitivis et resolutivis, sicut est ol. viol., aut oleum anetinum, scil. tempore aestatis; hiemis vero cum ol. camomill. aut narcisci aut de lilio. Si vero fuerint amplorum pororum, tunc non oportet, ut ungatur cum oleo; post ventosationem abluat locum ventosatum cum decoctione aneti, camomill. et vino antiquo et non oportet ut dormiat quis post ventosationem, sed regatur ventosatus ut flebotomatus ante ventosationem et post eam. Post ventosationem sumat in aestate infrigidantia sicut granatum, muciam de juleb et eis similia; in hieme vero detur tyriaca et syrupus de melle aut confectio de musco, ut confortentur membra principalia. Ventosae autem

quae ponuntur sine scarificatione, ponuntur super epar et splenem et podagram et super ventrem et umbilicum et super renes et auriculam et super mammillas. Ponitur autem ventosa super mammillam sine scarificatione ad restringendum fluxum sanguinis narium et ponimus super auriculam ad removendam ventositatem frigidam sicut quando ponimus super ventrem et umbilicum aut super epar et splenem apud ventositatem retentam, ante omnes vero super fortem dolorem circa renes. Istae ventosae administrantur quandoque concavae et quandoque sine igne aut administrantur cum aqua calida, tepida, ut in aegritudine pleuresis, ut apostematis materia profunda ad exteriora trahatur, et haec ventosa sit magna, ut aquae magnam capiat quantitatem. — Infans post tertium annum licentiatur ventosari.

### Capitulum de sanguissugis.

Sanguissugae ut plurimum administrantur in membris quibus non est possibilis appositio cufarum, sicut est labium, nasus, digitus et similia. Cavendum enim est ab iis, quae fiunt ex genere habentium magna capita et quarum colores sunt virides et nigrae et lanuginem habentes nec eas accipias in aquis in quibus est limus niger et tenosus et ferosus, quoniam in omnibus est ventositas, sed illas collige, quae in aquis colliguntur dulcibus, a putredinibus mundis et in quibus sunt ranae et parva habentes capita et habentes ventres rubeos et dorsum viride et dimittantur in aqua dulci in aliquo vase per duos dies antequam apponantur, ut famelicae sint et evacuatae ab eorum superfluitate. Deinde fricetur locus cum baurach, ut rubeat et cum modico sanguine ungatur, ubi vis apponere. Si vero plenae et saturatae fuerint nec per se cadunt et vis ut cadant, pulveriza super locum aliquantulum salis aut cineris et tunc si post casum earum apponatur ventosa, ut sugatur sanguis et malicia, tunc est inungere ultimum in juvamento, et si non, tunc ablue locum cum aceto; quodsi prolongatur cursus sanguinis, tunc projice desuper gallas et balaustias combustas et zegi et calcem simul mixta. Et extractio quidem ab sanguissugis facta profundior est extractione quae fit cum ventosis.

---

Für die freundliche Überlassung des Materials zu vorliegender Publikation sage ich Herrn Privatdozenten Dr. Pagel auch an dieser Stelle meinen ergebensten Dank.

---

# Thesen.

I.

Zur Einleitung der künstlichen Frühgeburt ist, wenn man von der Punktion der Eihäute absieht, die alte Cohensche Methode das rationellste Verfahren.

II.

Die Sehschärfe alter Leute nimmt nicht in der von Donders angegebenen Kurve ab.

III.

Bei schweren Diphtheritis-Epidemieen auf dem Lande ist die prophylaktische Impfung mit Heilserum vorzunehmen.

# Lebenslauf.

Verfasser dieser Arbeit, Walther Samuel Nestor Karl Herrmann August Moltke Schnelle aus Rostock, evangelischer Konfession, wurde am 17. Juli 1870 als Sohn des Rechtsanwalts Walther Schnelle geboren. Er besuchte von Michaelis 1879 bis Ostern 1887 das Gymnasium zu Rostock, dann bis Ostern 1890 das zu Neubrandenburg. Im Sommer-Semester 1890 war er an der Universität zu Würzburg immatrikuliert und genügte dort seiner Dienstpflicht mit der Waffe. Seit Michaelis 1890 bis jetzt gehört derselbe dem Königlichen medizinisch-chirurgischen Friedrich-Wilhelms-Institut als Studierender an. Am 9. Juli 1892 bestand er die ärztliche Vorprüfung, am 6. Juli 1894 das Tentamen medicum und am 13. Juli 1894 das Examen rigorosum.

Während seiner Studienzeit besuchte er die Vorlesungen, Kliniken und Kurse folgender Herren:

von Bardeleben, von Bergmann, du Bois-Reymond, Dilthey, Decker, Engler, Ewald, Fräntzel, Gerhardt, Goldscheider, Gurlt, Gusserow, R. Hartmann (†), Hertwig, Hirsch (†), v. Hofmann (†), Ilberg, Israel, Jolly, A. Köhler, R. Köhler, Kossel, Kundt (†), G. Lewin, Leyden, Liebreich, Olshausen, Oppenheim, Rubner, Salkowsky, F. E. Schulze, Schweigger, Schwendener, Siemerling (Tübingen), Sonnenburg, Strassmann, Trautmann, R. Virchow, Waldeyer.

Allen diesen Herren, seinen hochverehrten Lehrern, spricht der Verfasser seinen ehrerbietigsten Dank aus.